Bibliothèque numérique

medic@

Joncquet, Denis - candidat / Richard, Nicolas - président. - An Aurora Veneris amica ?

1637.
Paris
Cote : ms 76 n°835

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x05x0835

NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO DOMINO, D.

CLAVDIO FOVCAVLT,

INS VPREMA PARISIENSIVM CVRIA SENATORI INTEGERRIMO, &c.

OPTIMVM eſt (Vir Illuſtriſſime) virtutis eſſe compotem, melius naſci; etiam ab antiquitate [illegible] commendationem virtus: nec prorſus aliena laudat, qui genus jactat ſuum. Integerrimæ famæ tuus Genitor, ſacro Themidis cultu ſuperbus, vicinarum etiam gentium iudices ad ſui ſpectaculum euocauit; ac populi [illegible] (inſulſis licet precibus) coegit à cælo repetere, acerrimum ſui juris vindicem. Sed nolim ego, reminiſcere reluctantibus fatis extinctum. Et quem ſumma Iuſtitia ex mortali diuum effecit, maiori impetu [illegible] fieri. Ingenioſus ille apprimè callens cuncta ſuis ire temporibus, ac nuſquam eodem loco ſtare hominum dignitates & vitam; te ex probatiſſima ad miraculum coniuge ſuſcepit: ſed tanta ſuperſtitione [illegible] filij fixit, vt lucens in oculis atque ingenio tuo æquiſſimi Patris virtus, æmulorum inuidiam ſuperet, & amicorum fidem. Pace tua dixerim! Præpotens qui tui fortunæ ambitus, non dedignatus eſt intrare mei mapalia; [illegible] conſilio herili fœdere iunxerunt, non longè diſſitas domos: hic obſequium, ille fauorem reciproca dilectionis pignora petenti, munificentiſſimè conceſſit. Nec mirum ſi quos fortuna & conditio diuiſere, ſtudiorum ſympathia [illegible] & temporum conſenſus; itaut eorum animos non interpolauerit ſpecioſa diuitiarum felicitas, aut vile mancipium. Maiorum ſi placet hæreamus veſtigijs, iamdudum [illegible] generoſum eſſe vt titulis, ſic patrum [illegible] quamuis natura nos initio diſpares eſſe iuſſerit, iunctis tamen animis illius mandatis obtemperemus placidè; tu natus ad imperium, regna: ego ad obſequium, ſeruiam lubens: inuenies certè officioſum [illegible] proſeſſeris. Atque Quod felix fauſtumque ſit precor! (*Vir Illuſtriſſime*) *ſic patrum in natos ibunt*

Bene vale.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXII. IANVARII.

M. NICOLAO RICHARD, Doctore Medico, moderatore.

835

An Aurora Veneri amica?

HVMANA vita ſine Venere nimiùm breuis, aut nulla; quam vt illam æternam faciat, [illegible] diuinum alioquin animal præpotenti & imperioſâ, an non & neceſſaria? regit tyrannide: adeo feruidus & furens illius impetus, vt vix, niſi altiſſima ſapienti, ſubmoueri [illegible] quem ſemel occuparit, *trahit ea quemque voluptas.* Nulli obtemperat, non lacedæmonio ceromati, non aquæ gelidæ perfuſioni vel inceſſui, non lactucæ, vitici, cucumeri. [illegible] interdum & ad tempus impoſito aliquo labore aut ludicro, vt quaſi clauus trudatur clauo. Vix vllum contra Venerem niſi ſola fuga remedium, imò hæc ſequitur quoque fugientem. *Diſce ſanari per quam amare didiciſti.* Vel quod longe ſatius eſt cautè & maturè laſciua illius & furtiua caue præambula, ſecreta nimiùm & ſolitaria colloquia, luſus amores, cantus amatorios, riſus, blanda oſcula, contactus, nec tuos nimis formæ pulchritudini, & venuſtati oculos crede: quamquam nulla in amore deformitas, ſublatâ lucernâ æquè omnium grati ſunt amantium amplexus.

NEC humanæ tantùm propagationi ſtudet Venus, ſed vt ſanus ſanum & in longum [illegible] gignat; non minimam quoq; ſanitatis curam habet, imò hanc tuetur & ſæpè reparat. Corpus & animum iuuat, cor exhilarat, mentem recreat, ingenium acuit, [illegible] ſoluit, hyſtericis confert, fœdis virginum coloribus matura ſalutare præſidium eſt: & vt morbis à pituitâ ortis, aliiſque quamplurimis iucundo auxilio eſt, ſic eius abſtinentia [illegible] locum facit. Quos vt vites, non laſciuam, impuram & illicitam, ſed modeſtam, caſtam & honeſtam ſectare Venerem. *O terque quaterque beati* illi, qui in pari ſtudiorum & voluntatum conſenſu qui Matrimonium eſt, pari morum & humorum ſimilitudine, mutuis obſequijs, communi pignore, & ſine querelâ, coniugio iuncti viuunt: habere ſecundis rebus mulierem lætitiæ ſocìam lætitiam auget, & aduerſis pariter mœrentem ſolatij genus eſt. Ideo non tàm formâ & nummis, quàm moribus & virtute ſpectabilis, tibi vxor eligenda, cum quâ non omni tempore, non quâlibet horâ naturæ ſacra facies, non ad voluptatem, ſed neceſſitatem, & maximè vt te apud vulgus à crimine τῆς ἀγονίας vindices, ad prolis ſuſceptionem *Natis Veneri [illegible] ſeruat.*

DIES toti anno proportione reſpondet. Vtriúſq; quatuor ſunt partes ſibi, & quatuor ætatibus, totidémque humoribus inuicem ſimiles. Atque vt inter ætates, anni tempeſtates, & humores; ſic inter diei partes quædam Veneri exercendæ magis propria: ſua cuiúſq; ætatis [illegible], quæ iuuentus amat, reſpuit ſenectus, amare iuueni fructus eſt, crimen ſeni: nec ad prolis generationem benè iungitur iuuenis cum vetulâ, ſenex cum adoleſcentulâ, [illegible] ἐκζύγια. In qua flos cum putredine, vita cum morte, fœcunditas cum ſterilitate copulatur. Pulchrum ſanè ſi ingenio, corporis magnitudine, formâ, viribus pares coniungantur. Neq; vnus & idem omnibus colendæ Veneris modus eſt: cum ętate florentibus, ſanguineis, & pituitoſis innoxia, quos tamen minùs delectat; iuuenibus, bilioſis [illegible]; ſenibus & melancholicis inimiciſſima. Sic quoque non omnis hora, non omne tempus Veneri æquè aptum eſt. Inter anni tempeſtates ſupra cæteras eminet Verna non minùs hominum quàm animantium & florum fœcunda, licet vir hyeme, æſtate mulier lubentiùs in Venerem ruat: ſic inter diei partes elucet matutina, Veneri maximè opportuna. Quo tempore cum ſinguli humorum [illegible] viget humor cum calore copioſus, à quo hilareſcit Venus, & ſi tunc concipiat mulier, id præſtat animo vt magis tranquillo ſic corpore [illegible], indeque emergens proles aut vegetior eſt, aut maſcula.

TVNC generatur homo cum concipit mulier; vbi ſcilicet fœcundum vtriuſque parentis ſemen, ab omnibus corporis partibus deciduum, & ſimul effuſum, commixtis inter ſe nunc paribus nunc imparibus viribus, ab vtero ad diuinum illud miraculum effingendum, [illegible] conceptio eſt, non ſola ſeminis vtriúſque retentio. Sed *non eſt ſemper veneris properanda voluptas,* nec ſi multiplici prole gloriari velis ſæpè repetenda: vteri terra [illegible] vberiori fœtu quò ſæpiùs magiſuè exaratur. Mulieres viris tametſi frigidiores ad Venerem tamen proniores; quippe quæ in eius duello fortiores ſint, & magis [illegible] vitio vertitur ſalacitas, in feminis malè ſolus creditur coniugis aut liberorum affectus, non voluptatis, cùm raro citra voluptatē concipiant. Si horam cōceptioni idoneam quæris, fuge Meridianam, propter recentes ſatietates, cruditates, & laſſitudines; Veſpertinam, ob marceſcentes à labore corporis vires; Nocturnam, propter vitioſi humoris ſobolem, [illegible] Veneri ſit indulgendum, vbi ad id opus venitur ſecreta quæruntur, arbitri remouētur: Eam elige quæ ſanitati proſit, qualis eſt non à cibo & ante ſomnum, ſed vbi [illegible] ſomnum acceſſerit, & leuior ventriculus ſentitur, quod fere ſub Auroram fit.

QVID ſupereſt? niſi vt in Veneris amicitiam veniat Aurora, Poëtis [illegible], nobis prima matutini temporis pars. Ad ſanitatis tutelam non parum conducit in iis ſeruare ordinem, quibus ipſa ſuſtinetur, quæ à labore auſpicanda eſt, quem excipere debent cibus, potus, ſomnus, Venus cui exercendæ aptiſſimum tempus eſt, cùm prima in ventriculo, ſecunda in jecore coctio perfecta eſt. Nonne citra ſanitatis jacturam feminam [illegible] ſemen perfectè elaboratum eſt, & commodum excretioni, ſi demum reliquum antelucani temporis ſomnus iterum & quies habeant, procul dubiò per ſomnum [illegible] ſuccedet conceptio. Sic virtutes omnes cibo, ſomnóque reuiuiſcunt, naturalis alimento, animalis ſomno, vitalis vtróque; ſic nec cruditas noxam adferet, [illegible] hoc tempore peracta Venus plenitudinem exhaurit, corpus agile, & vegetum facit, emollit inſtrumenta, meatus laxat expurgátque: ſic *gratus* ferunt *[illegible]* exoriente Aurorâ ſenſus titillantur, deſiderio voluptatis artus incaleſcunt; & homo tunc temporis in temperiem reuerſus exquiſitam, ad Venerem maximè paratus, [illegible] copiam fœcundo liberorum prouentu valet ſuppeditare, hácq; conceptus horâ feliciſſimè adoleſcit, & in bonam animi & corporis fortunam extollitur.

Ergo Aurora Veneri amica. uti prima lux veneri exercendæ opportuna.

Proponebat Lutetiæ DIONYSIVS IONCQVET, Dordanæus. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Conſtant.	*M. Philipp. Hardoüin de S. Iacques Decanus.*	*M. Ioannes du Cledat.*
M. Petrus Sauare.	*M. Helias Bel[illegible]*	*M. Iacobus Couſinot.*
M. Hermanus de Launay.	*M. Franciſcus [illegible] François.*	*M. Petrus Seguyn.* prim. Reginæ Med. & antiq. Sch. Mag.

F.B.P.